

QK. 532, 57.

B. m. II

II  
488

# CONIECTANEORVM PARTEM

PRAESIDE

X 2316440

M. IOH. GEORGIO SAMVELE BERNHOLD

GYMNASII HEILBRONNENSIS

RECTORE

A CONTRADICTVRORVM  
INSVL TIBVS

D. XIII. MART. M DCC XXXXVIII.

HORA POSTMERID. II.

LOCO CONSVETO

PVLICE DEFENDET

GYMNASIO VALEDICTVRVS

JOHANNES LVDOVICVS DAVTEL

ARGENTORATENSIS.

HEILBRONNAE, TYPIS MAIERIANIS.



CONVENTUS  
RUM  
PARISIENSIS

M. IOH. GEORGIO SA  
MULTE RERUM HOD  
GMINAS HIRSHBERGENSIS  
RECTORIS  
A CONTRADICTORIUM  
IN SALTBURG  
EX XIXI A.D. MDCCLXXXVII  
HODA POSTULATUR  
POCO CONSISTO  
HABEAT DILEXIMUS  
GYMNASI VEL FEDICARAE  
JOHANNES LADOCICAS DIALET  
REGIMENTARETUR  
HELIODONNE TITIS MURKINAE



## CONIECTANEORVM LIBER.

**L**Audabili instituto eruditii uiri, quicquid a se esset diligentius obseruatum, prout quodque legentibus uel meditantibus succurrisset, statuerunt in lucem dare. Magno id quidem litterariae rei commodo. Nefas contra habendum, ut eruditorum uel minima intercidant. Et delectant itaque breuitate sua atque uarietate & prosunt uarii illi libelli, *stromateon*, *aduersariorum*, *noctium* &c. titulo prodeuentes. Mihi igitur, non eruditio quidem, ad illorum tamen exemplar se componenti, fas sit, meas, quas aliquid esse quidam putare solent, in medium proferre nugas, nulla, quod praeuideo, alia re commendabiles, quam quod ingenuum spirant conatum. Itaque uarii argumenti res, in quas aut legendu aut meditando incidi, dabo, nulli addictus rerum ordini: ita nimirum, quam Erlangae, in otio Erlangano, exorsus sum, pertexturus telam. Praescribam autem *Coniectaneorum* nomen, ut minus vulgare, quo suos libros olim quosdam ornasse, auctor est GELLIVS, *lib. ult. cap. ult.* Faueant nostris coeptis, quibus litterae sunt curae.

### LIB. I. CAP. I.

*Annon in explicando contradictionis principio plerique peccent.*

#### §. I.

**Q**Vanquam facilius nestantur quam explicitentur difficultates, & in utramque partem habita dissertatio saepe parum utilitatis

tatis ad ueritates ipsas afferat: non superuacuam tamen eorum iudicamus operam, qui non tam litigandi quam ueritatem ipsam adiuandi studio ducti accuratius in rem ipsam & demonstrandi rationem inquirunt. Ita scil. fit, ut, reiectis quae dubia & minus certa uidebantur, & discussa, quae circumposita erat, caligine, ad rem ipsam facilior accessus & liberior pateat intuitus.

## §. II.

Mihi igitur, quae de *contradictionis*, ut uocant, *principio* tradere solent philosophi, iterum iterumque uoluenti multa se obtulerunt, quibus offendebar. Quae ut e medio tollant meoque animo, qui sedent, eiificant scrupulos, etiam atque etiam rogatos uolo sagacioris ingenii uiros. Nunc mea in qua re ueretur disputatio, clarius paulo exponam. Nimirum de me nolim aliquis animum inducat suum, *ipsum a me in dubium uocari aut omnino negari contradictionis principium*. Quod tantum abest, ut mihi placeat, ut omnium, qui sunt, & fuerunt, & erunt, mortalium cum longe existimem stolidissimum, qui uel ad horam de illo humanae rationis decreto putauerit ambigendum. Idque ego tam extra controuersiam positum esse credo, ut lubens assentiam philosophis, uno ore edicentibus: *Principium contrad. esse indemonstrabile*, siue eosque esse eidens, ut demonstrari nec possit nec debeat.

## §. III.

Itaque illud quidem mihi non sumo, quod aliis negatum video, ut, a me *demonstrari* illud omnis certitudinis fundamentum posse, confidam. Qui enim possem? cum neque ingenio sim cum illis summis uiris neque usu & exercitatione comparandus. Itaque ego (liceat enim meam nunc profiteri haesitationem) non inficiar, minus probabilem mihi uideri *illam, qua in exponendo contrad. princ. uti plerique solent, rationem*. Proinde omnes uelim intelligant, de explicandi *ratione*, non de re ipsa, (ut initio dixi) dubitari.

## §. IIII.

## §. III.

*Contrad. Principium*, quod nemo ignorat, his uerbis complecti solent philosophi: *Fieri non posse*, scilicet impossibile esse, *ut idem simul sit & non sit*. Rem affirmo: in tradendi ratione haereo, his fere adductus causis. Omnibus apparere puto, in hoc constituendo effato ita uersari philosophos, *ut possibilitatis & impossibilitatis notione utantur ad expediendum istuc omnis ueritatis principium*. Intelligent nimirtum, quid sit illud, quod contrad. princ. appellant, ostendi non posse, nisi adhibita *redivatae aut redirentiae* notione. Edocendus itaque est, qui, quanta sit princ. contrad. uis, capere debet, quid *possibile* sit habendum, quid *impossibile*. Quod nisi fiat, qui, quaelo, perspicietur illud, quod usurpatur in declarando illo principio? *Fieri non potest*, scilicet *impossibile est*, ut &c. Quibus minus perspicue cognitis, non facile procedet reliquorum intelligentia. Nisi enim teneas, quid sit, *quod fieri aut non fieri posse*, frustra reliqua occinentur: *ut aliquid simul sit & non sit*.

## §. V.

Igitur aut ego insigniter fallor, omniumque rerum ignarus sum, aut uerum erit, quod dixi: *Contrad. princ. capere neminem posse*, qui, possibile & impossibile *quid sit*, non ante satis didicerit. Quod si itaque aliquis illo principio imbuendus ex te dubius quae-  
rat, *qualenam illud sit, quod fieri posse aut non fieri?* non poteris non respondere, quibus rebus contineatur utriusque ratio. Sup-  
peditabis itaque uriusque definitionem. Hanc si a philosophis petamus, ita nobis illi satisfaciunt: *Possibile est, quod contradictionem non inuoluit: impossibile habebis, quod contradictioni est implicitum*. Ita uero ad finiendum prius adhibetur posterioris notio: & posterius ad prius, nondum satis antea explicatum, refertur. Vnde fieri aliter non potest, nisi ut aequo obscurum sit utrumque, quod proponitur. Nimurum ut scias, quid *impossibile* sit aut *possibile*, quo rectius scilicet intelligatur, quid sit *contr. princ.* ut igitur hoc scias, ablegant te philosophi ad illud ipsum, quod

A 3

petitur.

petitur. Contra ut appareat illud, quod *possibile & impossibile* appellatur, recurritur ad *princ. contrad.* quod ut penitus cognosceremus, doceri cupiebamus, *quid fieri posse aut quid non fieri*. Nescio sane, quid sit *circulus in definendo*, nisi hic est. Qui cum merito suo ex omni philosophia proscribatur: qua, quaeso, idonea ratione si se excusabunt rationi, qui primum humanae cognitionis principium ita stabilitum eunt.

## §. VI.

Quae cum ita sint, alterutrum fateamur, necesse est: Ni mirum aut non erit *primum principium* quod *contradictionis* dicitur: aut illud relinquetur, ut *male a plerisque idem sit declaratum*, sc. ex uulgari sententia obscurius enunciatum. Sed neutrum concedent nostri philosophi. *Primum esse*, omnes fere & nunc contendunt, & olim existimarunt. Id autem fieri non posse, credo, cum ad idem explanandum alio, quod *prius* foret, egeamus. Demonstrandum scil. ante, quam, quale esset *contr. princ.* dices, fuerat, *quidnam fieri non possit*. Mirum, non leuis momenti quaestionem uel plane praeteritam a nostris & antiquioribus philosophis, uel leuiter perscriptam, re autem ipsa difficultate sua minime liberatam. Audiamus philosophantem CLEM. TIMPLERVM in *metaph. system. method.* L. II. c. VII. qu. I. in qua de *possibilitate & impossib.* tractatur. Inter uarias ontologistarum expositiones τὸ δύνατον & ἀδύνατον. hanc quoque ille assert: *Possib. esse, quidquid non implicet contradictionem.* Et ita contra de *impossibili*. Addit: „ Etsi uero hae definitiones uerbis inter „ se dissentunt; tamen in uero & genuino sensu inter se conuenient. Quicquid n. implicat contradictionem, id inuoluit ali „ quid destruens rationem entis. Ideoque non potest esse, & „ sic est impossibile „ Paucis interpositis, *quid implicet contradictionem*, exponere conatur, his uerbis: „ Alii putant id tantum „ implicare contradictionem, quod direxte & immediate pugnat „ cum ratione s. essentia entis. Alii uero praeterea addunt, id „ etiam implicare contrad. quod pugnat cum iis, quae cum el „ sentia

„ sentia éntis necessario & inseparabiliter cohaerent. - Hoc n.  
 „ licet non directe & immediate : tamen indirecte & mediate  
 „ pugnat cum ratione seu essentia entis ob necessariam & insepa-  
 „ rabilem proprietatem essentialium &c., Probe uero fecisti :  
 longe sum incertior , quam ante fui. Ita nim. & ens & eius es-  
 sentia & attributa sunt accuratius cognoscenda , antequam de  
 contradictionis princ. dici aliquid aut deduci possit. Quis itaque  
 sic finis esset ? si postulanti *possibilitatis* ( utemur n. his uerbis )  
 notionem obiicias *prime. contrad.* deinde huius quoque uim re-  
 quirentis , *de ente eiusque attributis* respondeas : & inde ad alia ,  
 finem non habitura , progrediaris , postremo ad primum reuolu-  
 luta quaestione. CHRIST. SHEIBLER *oper. metaph.* L. II. c.  
 III. ( ubi de Dei potentia inter alia θεολογίαν , ) num. 572. *possi-*  
*bile* , cum aliis id appellat , *quod non inuolut repugnantiam*. Illud  
 ipsum autem , *quod inuolut repugn.* l. c. n. 575. strictim per-  
 currit , rei ipsi quidem non satisfaciens . Non magis ferenda at-  
 tulit IAC. MARTINI in *metaph.* L. II. qu. VIII. cui *possibile* est ,  
*ubi praedicatum non repugnat subiecto*. Itaque & hic ad *repugnan-*  
*tiam s. contradictionem* reuolutur.

## §. VII.

DANIEL STAHL *institutionum metaphysic.* cap. III.  
 primum esse hoc *contradictionis principium* ita probatum it. *Pri-*  
*mum principium demonstrationis per impossibile est principium sim-*  
*pliciter primum. Hoc: impossibile est, idem simul esse, & non esse,*  
*est principium primum demonstrationis per impossibile: E. est principi-*  
*um simpliciter primum. Ego uero maiorem non concedendam pu-*  
*to. Ille quidem ita confirmare studet: demonstratio per impossibile*  
*est prior demonstratione ostensiua.* Ego puto , demonstrationem  
*per possibile* priorem esse. Deinde ad minorem haereo. Quae n.  
 quae haec est ratio : Illud princ. quod docet , *impossibile esse* ,  
 ut aliquid simul sit , & non sit , eo ipso ostendit , quomodo pos-  
 sit deduci aliquid *ad impossibile*. Aperte , nisi fallor , principium  
 petitur. Si n. illud princip. *Impossibile est &c.* prius est , altero ,  
 quod

quod ab impossibili procedit, demonstrandum erit id affirmantibus, posse illud prius: *Impossibile est*, intelligi sine notione eius, quod sit *impossibile*, scilicet ita ut non sit necessarium, ante exponi, *possibile* aut *impossibile* quid foret. Atqui id ipsum me, quo minus uulgo ita philosophantium accederem, retrahere, & professus sum, & cum ratione a me esse dubitatum, nisi forte nimis mihi ipse facilius videor, satis exposui. Itaque euidem hoc ipsum iterum nego, quod illi uolunt, ut *impossibilis ratio posterior* sit *contradict. princ.*, unde illius fons hoc possit haber. Nisi forte fontem appellare uelis locum ex se quidem *avidezov*, sed aliunde tamen aqua impletum, defeceturum, cum primum defuerit, qui infundat.

## §. VIII.

Parum acute, ut solet, in hac quoque re uidit IOH. SCHARF in *metaph. disput. X. append. X. §. 27.* Hic igitur *principia cognoscendi simpliciter prima* ea uocat, „quorum certitudo & evidentia „tanta est, ut, *cognitis illorum terminis*, sponte assentiantur omnes, & ueritas illorum nullo modo negari possit „ Exemplum hoc affert principii cognoscendi simpliciter primi: „*Qui nouerit, quid sit Ens*, & quid sit non-ens, non potest non assentiri „huic principio: Ens non potest esse non-ens „ Ergone hoc erit *simpliciter primum?* quod multa sibi praemittenda postulat. Annon hoc ipsum, ut scias, quid sit ens, aut non-ens, multa requirit, non minus simplicia, quam hoc: *Impossibile est, idem simul esse & non esse.* Nonne ipsa *entis* notio te reuocat ad intelligentiam *possibilitatis*. Ita uero *possibile* scilicet *ens*, ex *possibili*, & *impossibile*, scilicet *non-ens*, ex *impossibili*, per *circulum* demonstratur. Id quod nos male habet.

## §. VIII.

Non cautius in hac quaestione uersatus fuit IOH. GEORG. DORSCHEVS, in *consideratt. metaph. L. I. c. III. probl. II.* qui, ut *primatum* tueretur principii contrad. ita rationes suas concludit:

dit: „Hoc uero (scil. ut uocab. quibus illud principium continetur, nota sint & uniuersalia) „ non est necessarium ad primi principii constitutionem. Sufficit n. si haec uocab. *aliunde nota* „ in hac propositione seruiant ad *impossibilitatem & repugnantiam* „ ostendendam, „ Heus tu uero, acutissime uir! τὸ ἐν ἀξιῇ αἴτεσ. Hoc ipsum enim, ut certum, sumis, quod queritur. Nonne hoc maxime improbatur? quod *ignota* nec satis ante explicata sunt *possibilitatis & impossib.* uocabula. Alterutrum n. horum definiturus ad id, quod aequē est obscurum, recides, ad *princ. contrad.* Vnde n., quaeso, duces tuum illud *impossibile?* quod iam aliunde notum esse tibi persuades? nisi ex *contradic. princ.* Itaque falsum sane est, quod tibi dari cupis, iam *aliunde* notum es- se id, quod in *contrad. princ.* habeatur.

## §. X.

Sed longius sum prouectus. Contraham itaque uela. Quid n. attinet? omnes excutere metaphysicorum arculas, iisdem numis refertas. Omnes nosti, si unam inspexeris. Haec igitur, ut hoc iterum profiteamur, nostra summa est sententiae: *Illud, quod sine altero, quod praemittendum fuit, intelligi non potest, non est simpliciter primum cognoscendi principium.* Id quod ex notione *Primi manifestum esse puto.* Sed *princ. contr. intelligi nullo pa-  
do potest, nisi, quid impossibile sit, ante fuerit expositum.* Non igitur omnium *primum cogn. princ. erit illud, quod uocant contradic-  
tionis.* Ergo explicandum *primo loco* est, quid habeatur *possible & impossible.* Verum, etiamsi in hoc nihil haereas, altera o-  
ccurrit, non minus grauis, disputatio ex ipso *possib. & imposs.* finiu. Cum scil. praemittenda sit utriusque rei ratio, in eo la-  
buntur philosophi, quod ad idem, unde digressi sunt, redeant,  
& ex *princ. contr.* petunt, quod aliunde debebat innotuisse. Ita  
uero illud relinquitur: ut aut minus recte se habeat *possibil. & imposs.* notio vulgaris, quae ad id, *quod contradictionem refert, aut minus ostendit,* nos reducit: aut aliter, quam fieri uulgo solet,

instruatur της ἀντιφάσεως ἀρχή: aut circulus admittatur: aut *prima-*  
*tu* suo deturbetur illud *princ. contradictionis*. Sed haec  
 quidem haētenuis.

## CAP. II.

*Observationum philologicarum particula.*

Ad Epist. IVDAE. u. XVI.

**Q**uinam sint οἱ θαυμάζοντες τὸ πέρσωπτον, operaे pretium faciam,  
 si exposuero. Nisi fallor, notantur ab apostolo *Adulato-*  
*res*, s. *Affentatores*, pessimum & perniciōissimum hominum ge-  
 nus. Pinguntur hi homines ex eo, quod facere illis solenne est,  
 ut scil. *admirantur*, quae uident & audiunt eos facere, *a quibus*  
*aliquid emolumenti sperant se relatuos*. Apostolus addit: οὐδελας  
 χάριν. Ita omnino hanc humani generis pestem signat THEO-  
 PHRAST. *charact. mor.* c. II. Ait n. *adulationem esse συμφίγεσσαν*  
 τῷ πολακένοντι. Apud TERENT. *eun.* A. II. S. II. Gnatho parasitus:

Postremo imperauit egomet mihi,

*Omnia assentiri: is quaestus nunc est mihi uberrimus.*

Reēste etiam ARISTOTEL. l. IIII. *ethic.* c. XII. inter αἰσθαταὶ &  
 πολακέιαν hoc interesse, dicit, quod *adulator* omnia faciat, οἵποι  
 ὠφέλεια τις ἀντῷ γίγνηται εἰς χρήματα. Haec quidem de dictione αἰσ-  
 θαταὶ χάριν. Nunc τὸ θαυμάζειν πέρσωπτον uideamus. Mihi non uidetur  
 negligenda quod alios facere video, frequens huius uerbi signifi-  
 catio, *Mirari*, *Admirari*. Itaque illa uerba totidem reddemus  
 latinis: *Admirantes personas*. Admiramus ea, quae recedere a uul-  
 gari more aut rariora existimamus. Adulatores, quod alii natura  
 duce facere solent, id faciunt *per simulationem*. Itaque se magni  
 facere fingunt eos, quos adulantur. Πέρσωπτον igitur & ad *digni-*  
*tatem* reēste referas, & ad *ingenii corporisque dotes*. Vtrumque  
 sibi imperant adulatores. Iuuat ex THEOPHR. decerpere, quae  
 hic

huc facere uidentur. Is l. c. talem facit eiusmodi hominem : „Ωσε πολεμουνον ἄμα εἰπεῖν : Ἐνθυμῆ, οὐς ἀποβλέπουν οἱ οἱ ἀνδρῶποι. „Τέτο εὖτε γίνεται τὸν ἐν τῇ πόλει, πλὴν οὐ σοι, si quando prodeuntem „confectatus fuerit, dicit: *Vide, ut te obseruent homines. hoc, praeter te, nulli ciuium obtingit* „, Eundem introducit ea referentem, quae de altero illo praecclare & sentiant & dicant homines. Praeterea „λέγοντος αὐτῷ τι, τὸς ἄλλος σιωπῶν κελεύσαι, καὶ ἐπανέσαι δὲ „ἀκούοντος (s. quod alii, ne sic quidem male, legunt, ἀκούοντος) καὶ „ἐπιστημένοις, εἰ πάντεται, οὐδῶς „, Sed & corporis admirari bona: „Συνανθέμενος κερπῖδας, τὸν πόδα φῆσαι εἴναι ἐνεργούσον τῷ ὑποδημάτῳ „, Paulo ante dixerat, illum capillos laudare, pro aetate nondum canos, sed nigros. Fortunas etiam extollere, & agrum bene cultum, domum magnifice extructam &c. commemorare. Hi igitur mores cum sint *abieicti animi*, quod ARISTOTEL. l. c. c. VIII. „Οἱ ταπεινοὶ, νόλανες „, & facillime sese insinuant (*παρεγέδυσσαν, u. III.*) non sentientibus stupidioris ingenii, sed elati, hominibus: cur tantopere ab illis caueri ueht apostolos, omnes intelligunt. Haec nos de istoc uitio generatim. Quantum autem eiusmodi homines in Dei coetum & intulerint olim & nunc inferant mali, mei instituti non est, recensere. Otium nobis fecere.

GROTIUS, alii.

## THESES.

1. Qui ad Saepe, Saepior, Saepissimus, tanquam monstrum aliquod, horrent, sibi nec PRISCIANVM, nec CATONEM uisos unquam aut lectos fuisse, produnt.
2. Purus a scelere, latine, *purus sceleris*, ad Graecorum morem, dicitur: contra, quam aliis uidetur.
3. Temere dicitur, *Subiunctiu m f. Coniunctiu m semper & ex se aliquid incerti indicare.*

*Quae.*



- Q*1 *T*7 *488*
4. *Quaerere aliquem, pro, interrogare, s. quaerere ex aliquo, pure dicitur. Adeoque recte etiam, quæsus pro interrogatus. De quo male dubitatur.*
  5. *Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt, qui ierdvapuhabent German. prou. Es flog eine Gans über das Meer ic. TAPPIVS, & SEYBOLDVS, poëtae mentem non sunt asssecuti.*

PRAESES  
**RESPONDENTI**  
 XAI'PEIN.

**P**AUCIS TE affabor. Plura enim chartae angustia excludit. Sed nec multis opus esse credo ad TVI commendationem. Quid enim, me praceptor, in litteris profeceris, me etiam laudatore non accedente, intelligent, ad quorum uel amicitiam uel notitiam propius accesseris. Itaque TE, qualis sis, TVA facta & dicta ostendant. TV autem, macte noua, quam in certainiæ spectandam praebuisti, uirute. Sic itur ad alstra. Denique, si quid apud TE potest, ut debebat, praceptoris auctoritas, pius in DEVUM atque homines & dictorum meorum memor uiue.

Ita uero omne felicitatis genus expecta.  
 VALE.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

QK. 532, 5.  
CONIECTANEO-  
RVM  
PARTEM

PRAESIDE

X 2316440

M. IOH. GEORGIO SA-  
MVELE BERNHOLD

GYMNASII HEILBRONNENSIS  
RECTORE

A CONTRADICTVRORVM  
INSVL TIBVS

D. XIII. MART. M DCC XXXXVIII.

HORA POSTMERID. II.

LOCO CONSVETO

PUBLICE DEFENDET

GYMNASIO VALEDICTVRVS

IOHANNES LVDOVICVS DAVTEL  
ARGENTORATENSIS.

HEILBRONNAE, TYPIS MAIERIANIS.

